UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 28. Cheregatus a Papa Legatus ad Comitia deputatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66495

Visual Library

§. XXVIII.

Cheregatus a Papa Legatus ad comitia deputatus.

Hanc ob rem Pontifex comitia eſſe indicta edoctus Franciſcum Cheregatum Interamnæ Epiſcopum, aliunde ſibi in Hiſpaniis jamjam cognitum, ſuum internuncium deſignavit, eidemque præprimis mandata ſatis ampla, & a ſemetipſo dictata præſcripſit, quæ in pleno Principum conſeſſu prælegeret. Dein eidem commiſit epiſtolam ad Electores, Principes, atque Imperalium civitatum Deputatos ſcriptam.

Pallav. hiſt. l. 3. c 7. Extant literæ Adrian. apud Gold. t. 1. p 448. In faſcic. rer. expet tom 1. ann. 1522. tom 1. Conſt. Imper. a Goldaſto.

§. XXIX.

Mandata a Papa Nuncio data, atque in comitiis proponenda.

Hæc erat mandatorum ſumma: Primo Nuncius Apoſtolicus exponeret, quod non ſine ſingulari Dei providentia natione Germanus ad D. Petri Cathedram fuerit aſſumptus, ut apud eandem Nationem plus fidei, auctoritatisque obtineret, ſecundo, præcipue Imperii Principes, ut ſeſe Lutheri erroribus omni ſtudio opponerent, movere deberet *charitas erga proximos, qua unusquisque pro viribus ſtudere debet errantes ab*